



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXVII. Gregorii Papae I. Ad Evlogivm Episcopvm Alexandrinvm.
De tribus apostolicis sedibus, & de lignis transmissis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

de quibus est contentio debeatis accedere, & vtraque parte cominus constituta, per loca quæ in lite sunt, vestra faciatis præsentia terminari, quadraginta tamen annorum vtrique parti præscriptione seruata. Quæcumque vero definita fuerint, ita seruari fraternitas vestra sollicitè studioseque prouideat, vt denuo nec iurgium exinde aliquod excitari, nec querela aliqua ad nos valeat peruenire. Cæsarius abbas venerabilis quia noster olim fuerit, fraternitatem vestram credimus non latere, & ideo eum vobis salua æquitate in omnibus commendamus. Et quia in sæcularibus causis omnino inexpertus est, vestra eum sollicitudine necesse est adiuuari: sic tamen vt in cunctis, sicut decet, rationem & iustitiam conferuetis.

EPISTOLA XXXVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVLOGIUM EPISCOPVM ALEXANDRINVM.

De tribus apostolicis sedibus, & de lignis transmissis.

Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino.

SVAVISSIMA mihi sanctitas vestra multa in epistolis suis de sancti Petri apostolorum principis cathedra locuta est, dicens quod ipse in ea nunc vsque in suis successoribus sedeat. Et quidem ego indignum me esse non solum in honore præsentium, sed etiam in numero stantium agnosco. Sed cuncta quæ dicta sunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri cathedra locutus est, qui Petri cathedram tenet. Et cum me specialis honor nullo modo delectet, valde tamen lætatus sum, quia vos sanctissimi quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat sanctam ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus a petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur: *Tibi dabo claves regni cælorum*: cui rursus dicitur: *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*: iterumque: *Simon Ioannis amas me? Pasce oves meas*. Itaque cum multi sint apostoli, pro ipso tamen principatu sola apostolorum principis sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnus est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in qua euan-

*Marc. 16.**Luc. 22.**Ioan. 21.*

gelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit. Cum ergo vnus atque vna sit sedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc episcopi præsident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate: quia in illo vnum sumus, qui ait: *Vt omnes* Ioan. 17. *vnus sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnus sint.* Debitum autem salutationis alloquium persoluens, indico quia magno gaudio exulto, quod vos contra hæreticorum latratus assidue laborare cognoui: atque omnipotentem Dominum deprecor, vt beatitudinem vestram sua protectione adiuuet, quatenus per linguam vestram de sinu sanctæ ecclesiæ omnem radicem amaritudinis euellat, ne rursus germinans impediatur multos, & per illam coinquentur multi. Accepto etenim talento cogitatis quod præceptum est: *Negotiamini dum venio.* Luc. 19. Ego autem etsi negotiari non valeo, lucris tamen negotii vestri congaudeo; hoc videlicet sciens, quia & si me participem operatio non facit, laboris vestri me participem caritas facit. Quia, sicut æstimo, bonum proximi etiam otioso commune fit, qui de alterius actibus gaudere communiter scit. Præterea ligna transmittere volui, sed beatitudo vestra si essent necessaria non indicauit, & maiora multo mittere possumus, sed nequaquam talis nauis huc mittitur, quæ hæc capere valeat. Minora autem mittere verendum puto. Quid tamen facere debeam, beatitudo vestra suis mihi epistolis innotescat. Paruulam vero benedictionem de amatoris vestri sancti Petri ecclesia sex minora Aquitanica pallia, & duo oraria transmisi: quia enim multum diligo, etiam de paruis præsumo. Habet enim ipsa dilectio auctoritatem suam, & omnino certa est, quia iniuria non erit in omne quod amando præsumpserit. Suscepi autem benedictionem sancti euangelistæ Marci, iuxta breue vestris epistolis insertum. Sed quia colatum ac iurtheum non libenter bibo, præsumens cognidium requiro, quod in hac vrbe post multa tempora vestra innotescere transacto anno sanctitas fecit. Nam nos hic a negotiatoribus nomen cognidii & non substantiam comparamus. Peto autem vt contra omnes amaritudines quas in hac vita patior, vestræ me sanctitatis oratio ful-

ciat, atque ab his apud omnipotentem Dominum suis intercessionibus defendat.

EPISTOLA XXXVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM RECTOREM SICILIÆ.

De episcopo Locrensi ecclesiæ ordinando.

Gregorius Cypriano rectori nostro per Siciliam.

HABITATORES Locrensis ciuitatis quemdam ad nos presbyterum adduxerunt, qui eis debuisset episcopus ordinari. Sed quia minime dignus inuentus est, nec diu sine proprio possunt consistere sacerdote, a nobis admoniti in scrinio promiserunt alium studiose se quærere, & ad nos consecrandum Deo adiuuante perducere. Et ideo ad dilectionem tuam latere præsentium veniente Marcianum presbyterum dioceseos Taurianensis ecclesiæ, qui nunc habitat in ecclesia quæ est in Massalargia constituta, diocesis Catanensis ecclesiæ, ad te facito modis omnibus euocari, atque eum studii tui sit de criminibus, quæ ad episcopatum accedere non permittunt, cum omni subtilitate requirere. Et si eorum se expertem esse responderit, cum præsentium portitore eum festina dirigere, vt facto in eum decreto ad nos veniat Deo adiuuante ordinandus. Si vero est aliquid quod ei possit obistere, hunc qui ad dilectionem tuam venit cum omni cura & celeritate dimitte, vt, eo ad loca sua remeante, alter secundum ea quæ præmissa sunt requiratur. Data mense Augusti, indictione xv.

EPISTOLA XXXIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD MARINIANVM EPISCOPVM RAVENNÆ.

De ordinando episcopo in Corneliensi ecclesia loco alterius lapsi.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.

FRATERNITATIS vestra epistola nuntiante comperimus, Corneliensis ecclesiæ filios assidua supplicatione in loco lapsi quondam episcopi sui consecrandum sibi a vobis